Medina
Oct. 25 1965

CAPUT II (2ae Partis

DE CULTUS HUMANI PROGRESSU RITE PROMOVENDO (A) GS/14B

65. (Introductio) (B) Ad ipsam naturam hominis pertinet ut nonnisi per culturam, hoc est bona naturae valoresque colendo, ad veram plenamque humanitatem accedat. Ubicumque ergo de vita humana agitur, natura et cultura quam intime connectuntur (C)

Voce "cultura" sensu genrali indicantur omnia quibus homo multifarias dotes animi corporisque perpolit ac explicat; ipsum orbem terrarum cognitione et labore in suam potestatem redigit; vitam socialem tam familiarem quam politicam progressu morum institutorumque humaniorem reddit; denique magnas experientias spirituales atque aspirationes decursu temporum in operibus suis exprimit, communicat atque conservat, ut ad profectum multorum, quinimmo totius generis humani, inserviant. Tali modo homo condiciones vitae animalis transcendit (D).

Inde sequitur culturam humanam aspectum historicum atque socialem necessario prae se ferre, atque vocem "cultura" saepe sensum sociologicum necnon ethnologicum assumere. Hoc sensu de culturarum pluralitate sermo fit (E). Ex diverso enim modo utendi rebus, laborem praestandi et sese exprimendi, religionem colendi (F) moresque formandi, statuendi leges et iuridicas institutiones, augendi scientias et artes atque colendi pulchrum, diversae oriuntur communes condiciones vivendi et diversae formae componendi bona vitae (G). Ita ex traditis institutis efficitur patrimonium cuique humanae communitati proprium. Ita etiam constituitur ambitus (milieu) definitus et historicus, in quem homo cuiusque gentis vel aetatis inseritur, et ex quo bona ad humanum civilemque cultum promovendum haurit.

Sectio I: De cultus humani condicionibus in mundo hodierno

66. (De novis vivendi formis). Uti in initio huius constitutionis amplius expositum est, condiciones vitae hominis moderni sub respectu sociali et culturali profunde immutatae sunt, ita ut de nova historiae humanae aetate loqui liceat (A). Exinde ad culturam perficiendam ampliusque spargendam novae patent viae. Quas paraverunt ingens augmentum scientiarum naturalium et humanarum, etiam socialium, incrementum technicarum artium, necnon progressus in excolendis et recte disponendis instrumentis quibus homines inter se communicant. Hinc cultura hodierna particularibus signatur notis, inter quas: dum scientiae "exactae" iudicium criticum maxime excolunt, disciplinae historicae valde conferunt ut res (omnes) sub specie carum mutabilitatis ac evolutionis adspiciantur; vitae consuetudines et mores in dies magis uniformes efficiuntur; industrialisatio, urbanisatio aliaeque causae quae vitam communitariam ~~promovent~~ afficiunt, novas culturae formas creant (mass-culture) (B) ex quibus novi modi sentiendi, agendi otioque utendi nascuntur; aucta simul commercia inter varias gentes societatisque coetus thesauros diversarum cultus humani formarum omnibus et singulis latius aperiunt, et sic paulatim universalior paratur cultus humani forma, quae eo magis unitatem humani generis promoveat ac exprimit quo melius particularitates diversarum culturarum observat (C).

Noris: agregar la automatización, praesertim.

PATRIMONIO UC

67. (Homo auctor culturae) (A) In hac transformatione culturae, maior in dies numerus virorum ac mulierum cuiusvis coetus vel nationis conscii fiunt se proprii et suae communitatis humani cultus artifices atque auctores esse. In universo mundo magis magisque crescit autonomiae simulque responsabilitatis sensus, quod absque ullo dubio pro spirituali ac morali maturitate generis humani maximi est momenti. Illud clarius apparet, si ante oculos unificationem mundi ponimus atque munus nobis impositum, ut in veritate et iustitia novum aedificemus mundum. Tali ergo modo testes sumus novae humanitatis nascentis, in qua homo imprimis per suam responsabilitatem erga suos fratres historiamque definitur (B).

68. (Difficultates et munera) (A) Quibus in condicionibus, non est mirandum, hominem qui responsabilitatem suam sentit pro culturae progressu, cum anxietate adspicere multiplices antinomias existentes, quae ab eo resolvi debent (B):

Quid faciendum sit, ne frequentiora culturarum commercia, quae, inter diversos coetus et nationes ad verum et fructuosum dialogum adducere deberent (C), vitam communitatum perturbent, sapientiam maiorum evertant, et propriam indolem populorum in discrimen adducant ?

Quomodo dynamismo ac expansioni novae culturae est favendum, quin fidelitas viva pro traditionis haereditate perdatur ? Quod particulari modo urget cum cultura quae ex ingenti scientiarum artiumque technicarum progressi oritur, componenda sit cum eo cultu ingenii qui studiis classicis, secundum varias traditiones, alitur (D).

Quomodo tam velox atque progrediens disciplinarum particularium dispersio conformari queat cum necessitate synthesis earum formandae, necnon servandi apud hominem facultates contemplationis ac admirationis quae ad sapientiam adducunt? (E).

Quid faciendum sit, ut universi homines bonorum culturalium participes fiant in mundo ubi cultus humanum peritiorum semper sublimior atque complexior evadit ? (F)

Quomodo denique agnoscenda sit, prout legitima, authonomia quam cultura sibi vindicat, quin in humanismum mere terrestrem, imo ipsi religioni adversantem, perveniatur ? (G).

In medio quidem illarum antinomiarum debet hodie culturae humanae ministerium et servitium exerceri, ad quae omnes homines, praecipue autem christifideles, in una familia humana fraterne uniti, vocantur (H).

Sectio 2: De quibusdam principiis ad cultum humanum rite promovendum

69. (Fides et cultura) (A) Christifideles (B), ad civitatem caelestem peregrinantes, ea quae sursum sunt quaerere et sapere debent; quo tamen nequaquam minuitur, immo crescit momentum (C) muneris eorum una cum omnibus hominibus adlaborandi ad aedificationem mundi humanius configurandi. Et revera fidei christianae mysterium praestantia incitamenta et adiumenta eis praebet ad munus illud impensius adimplendum et praesertim ad plenum huiusmodi operis sensum detegen-

dum, quo cultus humanus in integra vocatione hominis suum eximium obtineat locum.

Cum enim homo opere manuum suarum vel ope technicarum artium terram excolit, ut fructum afferat et dignum universae familiae humanae habitaculum fiat, ipse consilium Dei, initio temporum patefactum, exsequitur, terrae subiciendae (2) creationisque perficiendae, signa spiritualia rebus imprimendo, dum simul magnum Christi mandatum servat sese in servitium fratrum impendendi.

Insuper homo, cum in varias scientiae mathematicae et naturalis, philosophiae et historiae (D) disciplinas incumbit et artes excolit, maxime confert ut familia humana ad sublimiores veri, boni et pulchri rationes elevetur et sic clarius illuminetur mirabili Sapientia, quae ab aeterno cum Deo erat, cuncta cum Eo componens, ludens in orbe terrarum, cum filiis hominum esse in deliciis habens (3) (E).

Enriquez: este es demasiado optimista. Existe el hecho de la desavenencia.

Mensaje de la inteligibilidad de la vida.

Eo ipso animus hominis, a rerum servitute magis solutus, expeditius ad ipsum Creatoris cultum et contemplationem evehitur (F). Immo impulsu gratiae, ad agnoscendum Dei Verbum disponitur, quod antequam caro fieret ad omnia salvanda et in Se recapitulanda, iam "in mundo erat", tamquam "lux vera quae illuminat omnem hominem" (Jo.1,10) (4).

potest (Butler)

Sane hodiernus progressus scientiarum artiumque technicarum (G), quae vi methodi suae usque ad intimas essendi rationes penetrare nequeunt, cuidam phenomenismo et agnosticismo favere potest, ex eo quod methodus investigandi qua disciplinae istae utuntur immerito pro suprema totius veritatis inveniendae regula habeatur. Immo periculum adest ne homo, inventis hodiernis nimis fidens, se sibi sufficere aestimet et altiora amplius jam non quaerat.

Haec tamen infausta non necessario ex hodierna cultura sequuntur, nec nos in tentationem inducere debent ne valores positivos nostrae aetatis agnoscamus. Inter quos enumerantur: exacta fidelitas erga veritatem in inquisitionibus scientificis, necessitas hodierna laborandi una cum aliis in coetibus technicis, sensus solidarietatis internationalis, conscientia magis magisque clara responsabilitatis peritorum erga homines adiuvandos immo et protegendos, voluntas vitae condiciones hominibus faustas reddendi, cura promovendi condiciones eorum qui vel absentia responsabilitatum vel paupertate cultus humani laborant. Immo haec omnia aliquam praeparationem ad intelligendum spiritum Evangelii afferre valent, quae informari potest caritate divina ab Eo qui venit ut mundum salvaret (H)

Mayrath: demasiado pelagianista. Hay deseo de promoverse a sí mismo.

70. (De multiplici connexione inter bonum nuntium Christi et cultum humanum) (A). Inter nuntium salutis et cultum humanum multiplices nexus inveniuntur. Nam Deus per revelationem suam, inde a primordiis usque ad pleniorem sui manifestationem in Filio incarnato, populum suum allocutus est secundum cultum civilem diversis aetatibus proprium.

Ecclesia pariter Christi ( ) in bonis quibusdam cultus ingenii passim occurrentibus instrumentum invenit nuntium sibi consignatum altius intelligendi, investingandi et explicandi in sua praedicatione ad omnes gentes diffundendi et in cele-

PATRIMONIO UC

bratione liturgica atque in vita multiformis communitatis fidelium melius exprimendi.

At simul, ad omnes populos cuiusvis aetatis et regionis missa, Ecclesia nulli stirpi aut nationi, nulli particulari morum rationi, nulli antiquae aut novae consuetudini exclusive et indissolubiliter alligatur. Suae traditioni constanter inhaerens, communionem cum diversis cultus humani formis inire potest, unde tum ipsa Ecclesia tum variae culturae ditescunt (B).

Bonum nuntium Christi hominis lapsi vitam et cultum continenter renovat, et errores ac mala, ex semper minaci peccati seductione manantia, impugnat et removet. Mores populorum indesinenter purificat et elevat. Animi ornamenta dotesque cuiuscumque populi vel aetatis supernis divitiis velut ab intra fecundat, communit, complet atque in Christo restaurat (5). Sic Ecclesia, proprium implendo munus, iam eo ipso ad humanum civilemque cultum impellit atque confert, et actione sua, etiam liturgica, hominem ad interiorem libertatem educat.

71. (De diversis rationibus in cultus humani formis rite componendis). Supradictis rationibus, Ecclesia in mentem omnium revocat animi cultum ad integram personae humanae perfectionem, ad bonum communitatis et totius humanae societatis esse referendam. Quare oportet animi cultus ( ) ita ordinari, ut promoveat facultatem admirandi, intus legendi, contemplandi, ( ) faciendi iudicium personale et excolendi sensum religiosum, moralem ac socialem ( ) (A).

Henriquez: falta la idea del lat. cult.: que el hombre imprima su imagen al mundo, contra la ma.

Cultus enim animi, cum ex hominis indole spirituali et sociali immediate fluat, indesinenter indiget libertate ad se explicandum atque legitima, secundum propria principia, sui iuris agendi facultate. Ius ergo habet ad reverentiam et quadam gaudet inviolabilitate, servatis utique iuribus personae et communitatis, sive particularis sive universalis, intra fines boni communis.

Sacra Synodus ergo, libenter recolens ea quae Concilium Vaticanum Primum docuit, declarat "duplicem esse ordinem cognitionis" distinctum, nempe fidei et rationis, nec sane Ecclesia vetat ne "humanarum artium et disciplinarum culturae (...) in suo quaeque ambitu propriis utantur principiis et propria methodo"; quare "iustam hanc libertatem agnoscens", cultus humani et praesertim scientiarum legitimam autonomiam affirmat (B).

Haec omnia quoque postulant ut homo libere possit verum inquirere et, morali ordine communique utilitate servatis, opinionem suam declarare ac vulgare, atque artem qualemcumque colere; ut denique ex veritate de publicis eventibus certior fiat (C).

Brown: "servato ordine morali".

Ad publicam vero auctoritatem pertinet, non propriam indolem cultus humani formarum determinare, sed conditiones et subsidia ad vitam culturalem (D) inter omnes promovendam fovere, etiam intra minoritatis alicuius nationis (E). Ideo praeprimis instandum est, ne civilis cultus, a proprio fine aversus, serviro potestatibus politicis vel oeconomicis cogatur.

PATRIMONIO UC

Sectio 3 : De quibusdam urgentioribus christianorum muneribus circa cultum humanum.

72. (Ius ad cultum humanum omnibus agnoscatur et in rem deducatur). Cum nunc primum facultas praebeatur plurimos homines ab ignorantiae miseria liberandi (A), officium nostrae aetati maxime consentaneum est, praesertim pro christianis, strenue adlaborare, optiones fundamentales* tam in re oeconomica quam in re politica, tam in campo nationali quam internationali assumendo (B), ut ius omnium ad humanum civilemque cultum, personae dignitati congruum, sine discrimine stirpis, sexus, nationis vel socialis condicionis, ubique terrarum agnoscatur et ad rem deducatur. Ideo sufficiens bonorum cultus eiusmodi copia omnibus providenda est, praesertim cultus quem fundamentalem dicunt, ne plurimi litterarum ignorantia responsabilisque actuositatis privatione (C) a cooperatione vere humana ad bonum commune impediantur.

*? Que significa? Ius ad culturae beneficia.

Contendendum est itaque ut homines, quorum ingenii vires id ferant, ad altiores studiorum ordines ascendere possint (D); ita quidem ut iidem, quoad fieri possit (E), in humana societate ad munera, officia et servitia (F) emergant, tum suo ingenio, tum peritiae quam sibi ipsi pepererint consentanea (7). Sic omnis homo et (G) coetus sociales cuiuscumque populi ad plenam vitae suae "culturalis" explicationem, suis dotibus atque a maioribus traditis memoriis congruum, pertingere valebunt.

Enixe insuper adlaborandum est ut omnes conscii fiant tum huius iuris, tum officii quo astringuntur sese excolendi aliosque adiuvandi. Condiciones enim vitae et laboris quandoque exstant quae impediunt contentiones culturales hominum et in iis studium culturae destruunt (H). Res speciali ratione pro ruricolis et opificibus valet, quibus praebeantur tales condiciones operam suam praestandi, quae humanum eorum cultum non praepediant sed promoveant (I). Mulieres in fere omnibus vitae campis iam adlaborant; convenit autem ut partes earum secundum propriam indolem plene assumere valeant. Omnium erit, ut participatio mulierum in vita culturali, (genio praesertim masculino imbuta,) agnoscatur atque promoveatur (J).

PATRIMONIO UC

Garrone: idea muy importante pero profundamente explicada.
McGrath: distinguir entre "cultura universal" e "integral"

73. (De educatione ad hominis integrum cultum). Adest hodie maior difficultas quam olim redigendi in synthesim varias disciplinas et artes. Dum enim crescunt moles et diversitas factorum culturalium, insimul minuitur facultas pro singulis hominibus eos percipiendi et componendi, ita ut notio "culturae generalis" in homine individuo vel imago "hominis universalis" (uomo universale) magis ac magis evanescat (A).

Quasi mater et nutrix huius educationis, imprimis remanet familia, in qua liberi, amore foti, rectum rerum ordinem facilius condiscunt, dum probatae formae cultus humani quasi inconscie in animum progredientis adolescentiae transfunduntur.

Pro eadem educatione, in societatibus hodiernis oriuntur utilitates, ut scholae populares (Volksschule), musea et expositiones itinerantes, publicationes, quae novae universali culturae fovere possunt (B). Imminuto enim passim laboris

spatio in dies augescunt pro pluribus hominibus opportunitates. Otia ad animum relaxandum et mentis ac corporis sanitatem roborandam rite insumantur, per liberas industrias et studia ( ) (C) versus alias regiones itinera (turismus), quibus ingenium hominis expolitur, sed et homines mutua cognitione locupletantur, exercitationes et manifestationes sportivas, quae ad animi aequilibrium, etiam in communitate, servandum necnon ad fraternas relationes inter homines omnium conditionum nationum vel diversae stirpis statuendas, adiumentum praebent (D). Christifideles ergo sese impendant in manifestationes et actiones cultus ingenii "collectivas", nostrae aetati proprias, spiritu humano et christiano imbuendas.

Haec autem omnia commoda educationem hominis ad integrum cultum perficere non valent si insimul profunda interrogatio de sensu culturae et scientiae pro persona humana negligitur (E).

74. (De humano civilique cultu cum christiana institutione rite componendo) ( ) Quamvis Ecclesia multum contulerit ad scientiarum cultum, experientia constat non ex ipsamet natura scientiae et doctrinae sacrae, sed ex causis contingentibus (B), non raro quandam oppositionem, immo dissensionem evenisse inter modum cogitandi "dogmaticum" theologiae (C) et scientiarum progressum, vel etiam inter applicationes doctrinae moralis christianae et aliquas postulationes hominis huius temporis.

Hemiquy: mod theol. "dogm." es peyorativo. Butler: la theol es conquistada por la ciencia. Subrayarlo 25 mas.

Istae difficultates, quae saepesaepius in intellectuali investigatione eveniunt (D) non necessario vitae fidei damnum afferunt, sed ad accuratiorem et altiorem intelligentiam fidei mentem excitare possunt ( ) (E); etenim scientiarum, historiae ac philosophiae (F) recentia studia et inventa novas quaestiones suscitant (G), quae etiam (H) a theologis novas investigationes postulant ( ) (I). Sic etiam fideles ad puriorem et maturiorem in fide vitam ducuntur. Denique invitantur theologi ad renovandum modum suum loquendi, quia aliud est ipsum depositum Fidei seu veritates, aliud modus quo eaedem enuntiantur (J).

Laszlo: esto no solo se diga de teólogos, sino también de pastores.

Edombo: cuidar que la teología tenga el mismo sentido. Insiste en la moralidad del arte.

Suo quoque modo litterae et artes pro vita Ecclesiae magni sunt momenti (K). Indolem enim proprian hominis, eius problemata eiusque experientiam in conatu ad seipsum mundumque cognoscendum et perficiendum, saepe dilucide edisserunt, situationem eius in historia et in universo mundo detegunt, miserias et gaudia, necessitates et vires hominum illustrant, et quasi prophetico modo visionem liberatricem de sorte hominum interdum afferunt. Operibus et imaginibus illarum, sensus spiritualis et religiosus vitae efformatur vel depravatur (L).

Exinde cavendum est ne dissidium fiat inter artes artificesque temporis nostri et vitam religiosam communitatum ecclesialium (M). Novae formae artium recipiantur in Ecclesia, et speciatim in santuario, ubi ( ) mentem ad Deum erigent ,iuxta variarum nationum et regionum indolem ( ) (N).

Sic (O) notitia Dei melius manifestatur et praedicatio evangelica in intellectu hominum magis perspicua et eorum conditionibus quasi insita esse cognoscitur.

Fideles ergo (P) coniunctissime cum aliis suae aetatis hominibus vivant, et perfecte eorum cogitandi atque sentiendi modos

qui per ingenii cultum exprimuntur, percipere studeant. Sic adiuti ab iis (Q) qui peritia in variis cultus humani campis eminent, pari gressu procedent in religionis intelligentia et in scientiarum cognitione (R).

Qui theologicis ( ) disciplinis in Seminariis et Studiorum Universitatibus incumbunt, cum hominibus aliarum scientiarum studiosis, collatis viribus atque consiliis, cooperari studeant. Theologica ( ) inquisitio (S) coniunctionem cum proprio tempore ne negligat, ut homines variis disciplinis excultos ad pleniorem fidei scientiam iuvare possit. Haec socia opera plurimum proderit institutioni sacrorum ministrorum, qui doctrinam Ecclesiae de homine et de mundo aptius coaevis nostris explanare poterunt, ita ut verbum illud etiam libentius ab eis suscipiatur. Immo optandum ut plures laici congruam in disciplinis sacris institutionem adipiscantur, nec pauci inter eos haec studia data opera, "scientificis" subsidiis adhibitis, colant et altius producant. Ut vero munus suum exercere valeant, agnoscatur fidelibus, sive clericis, sive laicis (T), christiana libertas inquirendi, cogitandi necnon mentem suam in humilitate et fortitudine aperiendi in iis in quibus competentia gaudent.

Nota: nuestro oficio es principalísimamente devolver eso, no el arte. Tome la cultura como religión.

(18-10-65)

Schema Constitutionis Pastoralis DE ECCLESIA IN MUNDO HUIUS TEMPORIS

Pars II: De quibusdam problematibus urgentioribus

Caput II: DE CULTUS HUMANI PROGRESSU RITE PROMOVENDO

Subcommissio 7, "de Cultura". Membra Subcommissionis: Exc. GUANO, rev. MOEHLER, Exc. YU PIN, CHARUE, VALLOPILLY, ELCHINGER, Rev. BUTLER, ut Patres; ut Periti: Rev. KLOSTERMANN, MOELLER, RAMSELAAR, DONDEYNE, R.P. RIGAUX, VERARDO, Egr. FOLLIET, SWIEZAWSKI, quibus adiuncti sunt RR.PP. DUPONT et LIEGE. - Absentes fuerunt: Exc. GUANO, R.P. VERARDO, Egr. FOLLIET. Muneris Praesidis functus est R.mus P. MOEHLER, Relatoris autem R.mus P. RIGAUX.
Subcommissio coadunata est diebus 12,13,14,15,16 et 18 Octobris 1965. Pro unaquaque Sectione institutae fuerunt Subcommissiones particulares. De interventionibus Patrum quae ad Subcommissionem pervenerunt Relatio confecta est et omnibus Subcommissionis membris tradita.

(A) ANIMADVERSIONES GENERALES

1. Caput laudatur a pluribus Patribus, quia clare quaedam lineamenta status praesentis in mundo intellectuali describit et rectas animadversiones exprimit de libertate Ecclesiae erga diversos cultus (E/5712.5666.5697).

2. Plura tamen a Patribus desiderantur:
Enucleatur conceptus "culturae" (E/5663). Caput est nimis abstractum (E/5499), diffusum et non satis profundum (E/5713.5665), nimis indigens (5694), nimis optimisticum (E/5472.5644.5712), nimias quaestiones tangit (E/5663), multas generales affirmationes piasque exhortationes complectitur, et graviores quaestiones, quae hodie Ecclesiae

conscientiam movere debent, non satis emergunt (Id.).

3. Momentum historiae in lucem melius ponatur (E/5713.5712).

4. Relatio inter scientias et technicas modernas et culturam insufficienter describitur; etenim, ut dicitur, scientiae elevationem animae non causant (E/5644), vel natura scientiarum positivarum non satis exponitur, vel philosophia scientiarum et critica cognitionis humanae locum suum non obtinet (E/5712.5698).

5. Cultura de qua in textu agitur mundum occidentalem respicit, et mundus orientalis ignoratur, sicut etiam culturae populorum primitivorum; melius esset indolem complementariam omnium culturarum asserere et reverentiam erga omnes illas formas commendare (E/5713).5700.5424).

6. Necessitas diffusionis culturae pro pauperibus non sufficienter indicatur (E/5665).

7. Magis instandum esset in momentum fidei et in adiumenta supernaturalia pro culturae progressu (E/5712.5430).

8. Unus Pater novam structuram pro toto Capite proponit (E/5663).

Responsum propositum:

Optatis Patrum Subcommissio unanimis satisfacere pro posse iudicavit, semper tamen memor principiorum quae Subcommissio centralis stabilivit, scil. structuram generalem non immutandam, repetitiones vitare, textum breviorem facere, unitatem styli servare, latinitatem simplicem et intelligibilem adhibere. Generaliora quae in prima Parte iam exposita sunt non erant repetenda, sed illa tantum quae ad culturam pertinent retenta sunt.

1. In Sectione 1 nostri Capitis conceptus "culturae" magis clare, concrete et profunde exponatur.

2. Affirmationes generales, ubi inveniebantur, vel suppressae fuerunt vel abbreviatae. Item piae exhortationes, praesertim in Sectione 3. Quaedam sententiae locum meliorem in alia Capitis parte invenerunt.

3. Momentum historiae in lucem positum est pluribus in locis.

4. Relatio inter scientiam et culturam, ad quam pluries iam attendebatur in Capite, melius exposita est ope philosophiae scientiarum et criticae cognitionis humanae.

5. Pluribus in locis emendatus textus, ut aspectus universalis culturarum asseratur.

6. Necessitas culturae pro omnibus affirmatur.

7. Fides et adiumenta supernaturalia pro fundamento totius Capitis praesunt.

PATRIMONIO UC

(B) ANIMADVERSIONES PARTICULARES

Ad num.65

(B) Hic articulus factus est Introductio generalis totius Capitis, quia ad tres sectiones se refert.

(C) Textus retractatus ad maiorem claritatem. Prima mutatio est mere stylistica. Secunda "bona naturae valoresque colendo" iam culturam describit. Tertia emendatio obiectum generale Capitis indicat, nexum scilicet inter culturam et naturam, quia Caput agit non tantum de culturis elevatis, sed de omni humana cultura.

(D) Ut postulationibus plurimorum Patrum satisfiat, descriptio amplior datur de voce "cultura". Vox "cultura" loco "cultus" adhibetur, quia a multis melius intelligitur. In hac paragrapho primum de cultura agitur sub respectu anthropologico: homo vitam animalem transcendit, quia (a) cognitione et labore orbem terrarum in suam potestatem redigit; (b) vita sociali, familiari et politica mores institutionesque humaniores reddit; (c) experientias spirituales et aspirationes suas in operibus exprimit et conservat.

(E) In secunda paragrapho vox "cultura" describitur quoad sensum sociologicum et ethnologicum. Et redimus ad textum priorem. Lin.24, "ambitus" scribitur ut res facilius intelligatur.
In his mutationibus postulationibus Patrum respondetur: E/5287.5663.5885. Item cadit obiectum animadversionis E/5634.

(F) Unus Pater postulat ut "religionem colendi" deleatur (E/5292). Resp.: sensus est clarus: de omni religione agitur, non tantum de religione revelata.

(G) Unus Pater (+80): haec alibi iam dicta sunt quoad rem. Resp.: repetitio non est totalis; hic res sub aspectu culturae respicitur, et textus necessarius est ut sensum sociologicum vocis "culturae" indicetur.

Ad num. 66

(A) Additio fit ut Sectio 1 introductionem propriam habeat.

(B) Adiuncta concreta inseruntur ut amplior et accuratior fiat descriptio phaenomenologica eorum quae culturam hodiernam constituunt. Hic momentum iudicii critici in scientiis exactis atque munus historiae introducuntur; simili modo, industrialisatio, urbanisatio, etc.

(C) Unitas generis humani in progressu ad culturam sublineatur, ut clare appareat universalitas culturae.

Ad num. 67

(A) Titulus paragraphi simplicior redditur.

(B) Subcommissio censuit necessarium esse ut modo magis explicite declaretur idea quae iam in textu priori apparebat: conscientia scil. quam homines accipiunt in dies maiorem suae autonomiae ac responsabilitatis, necnon huius conscientiae momentum pro spirituali atque morali maturitate

PATRIMONIO UC

generis humani. Secunda pars textus prioris cum hac intentione rescripta est.
Ita etiam aliquo modo respondetur voto unius Patris (E/5663)

Ad num.68

(A) Titulus articuli simul simplicior et magis rei consentaneus redditur. Contentum huius articuli quoad substantiam idem remanet ac in redactione priori; sed forma dicendi immutatur, ut sententiae simpliciores reddantur, et res modo lucidiori praesentetur, sub forma scil. interrogativa quae difficultates ostendit magis vivide.

(B) Sublineatur antinomiae ex quibus difficultates hodiernae oriuntur; item anxietates inde exortae.

(C) "Ad verum et fructuosum dialogum adducere", recordat Encycl. "Ecclesiam suam".

(D) Ostenditur cogitandum esse non tantum de cultura occidentali. Loco "studiis humanioribus" dicitur "studiis classicis" claritatis causa.

(E) Idea contemplationis ac admirationis quae ad sapientiam adducit, ad votum (Auditorum et) Episcoporum Poloniae satisfaciendum.

(F) Sublineatur necessitas bonorum culturalium pro omnibus hominibus, ut postulavit E/5665.

(G) Momentum religiosum culturae indicatur.

(H) Universalitas culturae adhuc vindicatur. Cf. E/5287. Plures Patres mutationes postulaverunt, quae non sunt amplius ad rem pro textu emendato. Cf. E/5292.5492.5885 (+ 20).

Ad num.69

(A) Titulus numeri simplicior redditur, ita ut etiam contento articuli melius respondeat.

(B) Mutationes factae sunt tantum quoad minuta, ut variis Patrum votis respondeatur: valor scientiarum mathematicarum necnon naturalium, philosophiae et historiae sublineatur. Cultus Creatoris et contemplatio evehuntur.

(C) "Immo crescit", postulante uno Patre (E/5287).

(D) "Et historiae", ut voto unius Patris respondeatur (E/5666)

(E) Unus Pater dicit quod amor veri et pulchri in his lineis tam pro sapienti quam pro sancto valent (E/5287) - Resp.: ultimae lineae sensum indicant.

(F) "Et contemplatione" additur, postulante uno Patre (E/5292)

(G) Firmiter reiicitur omnis species phaenomenismi et agnosticismi, ut methodus vere scientifica totam veritatem pro regula suprema explicite teneat. Haec paragraphus ampliata fuit propter veritatem.

(H) Valor communum hodiernorum explicite agnoscitur, ut votis Patrum satisfiat, qui postulaverunt ut elementa positiva culturae nostri temporis clare affirmentur. In ultima phrasi praeparatio evangelica sublineatur. Additio

autem a 20 Patribus proposita (E/5885) non admittitur, quia res ad alium locum pertinet.

Ad num. 70

(A) Textus sicuti erat remanet, paucis emendatis.

(B) Voto unius Patris (cum 80) (E/5424) provisum est in variis Capitis locis, et in hoc ipso numero, ubi libertas Ecclesiae respectu ad varias culturas extollitur.

Ad num. 71

(A) Prima textus prioris paragraphus abbreviatur, ad vitandas repetitiones locutionesque exhortativas. Ita citius pervenitur ad essentiam huius articuli, qui libertatem respicit in cultura colenda, sed etiam officium servandi duplicem ordinem cognitionis distinctum, fidei nempe et rationis.

(B) Additio hic ab uno Patre postulatur: "dummodo nihil contrarium fidei et morum sanctitati doceatur" (E/5486). - Resp.: Per se patet.

(C) Haec desumuntur ex numero 72 textus prioris (pag.56, lin.21-24). Transpositio necessaria iudicata est, quia idem obiectum tractatur, nempe libertas.

(D) Unus Pater additionem postulat: "debita libertate pollentem" (E/5292). - Resp.: Iam sufficienter provisum est in hoc articulo.

(E) 20 Patres postulant ut de iure minoritatum sermo fiat (E/5883). - Ut huic voto satisfactio detur, brevis additio facta est.

PATRIMONIUM

Ad num. 72

(A) Plures Episcopi additiones postulant: post "Cum primum" addatur: "ope mediorum modernorum communicationis" (E/5885. 5612); post "liberandi": "ac ad veram culturam suique conscientiam et personalem autonomiam" (E/5612). Resp. 1 Haec alibi inveniuntur.

(B) Plures Episcopi proponunt hanc emendationem de optionibus faciendis, ut momentum et gravitas huius problematis melius appareat (E/5885). Resp.: admittitur.

(C) Plures Patres (E/5612.5292.5885) rogant ut post "ignorantia" addatur: "responsabilisque actuositatis privatione" - Resp.: Admittitur.

(D) Iidem Patres postulant ut de "iure" hominum ad altiora studia dicatur (E/5612.5885). - Resp.: Ius illud determinandum foret.

(E) Iidem Patres loco "quoad fieri potest" proponunt "secundum quod condiciones obiectivae id permittant" (E/5612.5885) - Resp.: Idea haec in textu adest.

(F) Iidem rogant ut mentio fiat de "servitiis" (E/5885). Resp.: Admittitur.

(G) Iidem patres aestimant non tantum coetus sociales sed etiam singulos homines memorandos esse (E/5885). Resp.: Admittitur.

(H) Iidem episcopi rogant ut de condicionibus difficilibus laicis sermo hic fiat (E/5885). Resp.:Admittitur.

(I) Pro hac paragrapho nova redactio proponitur ab iisdem Patribus (E/5885). Resp.: Maior pars eorum quae in hac additione proponuntur alibi in textu emendato reassumuntur (cf. (B),(G),(H)).

(J) Ut voto unius Patris (E/5895) et auditorum respondeatur, haec additio de mulieribus admissa est.

Ad num.73

(A) Plures Patres (E/5424) aestimant lin.25-31, pag.56, superficialiter quaestionem tangere; suggerunt ut munus societatis in synthesim culturae efformandam indicetur. Hac de causa loco primae paragraphi emendatio illorum Patrum accipitur.

(B) Eadem ratione ac (A) proponuntur aliqua exempla concreta.

(C) Omittitur "ludicra quoque certamina", quia res in sequentibus lineis fusius tractatur.

(D) Plures Patres rogaverunt ut quaestio de otiis profundius consideretur (E/5424). - Resp.: Provisum est in emendatione sub littera (E). Ex alia parte unus Pater textum proponit (E/5667), qui substantialiter acceptus est.

(E) Ut respondeatur observationi plurium Patrum de qua littera (D) (E/5424) haec additio de sensu profundo culturae pro persona humana proponitur.

Ad num.74

In genere textus prior retinendus visus est, sed sub forma breviore et clarius ordinata, ut intentum melius appareat. (1) Statuitur factum alicuius dissensionis inter Ecclesiam et culturam. (2) Dicitur quod Ecclesia ex suo labore ad illam dissensionem superandam ditari et renovari potest, tum pleniori intelligentia dogmatis, tum fidei maturiori et puriori, tum modis dicendi renovandis in theologia. (3) Idem suo modo dici potest de campo artium. (4) Fideles monentur ut cum suis coaevis coniuncti vivent in ambitu culturali sui temporis. (5) Quaedam applicationes pro seminariis et universitatibus indicantur.

(A) Lineae 4-5 textus prioris omittuntur, quia redundant.

(B) E/5892 observat sedulo distinguendum esse inter ius et factum; E/5638 rogat ut aliqua verba de activitate Ecclesiae in favorem culturae ponantur.

(C) E/5292 suggerit: "modum proponendi veritatem". Haec formula accipi nequit, quia hic de Magisterio Ecclesiae non agitur, sed de modo cogitandi in theologia.

PATRIMONIO UC

Ad vitandam ambiguitatem quam timet E/5892, electa est vox "theologiae". Vocabula "dogmaticum" et "theologiae" sensum peiorativum (E/5638) hic nullo modo habent: factum simpliciter agnoscitur.

(D) Quidam Patres rogant aliqua verba dici de condicione investigationis scientificae: E/5885.

(E) Omittuntur lin.11-16 textus prioris, quia res iam in expositione introductoria dicta est; similiter omittuntur lin.16-18 quia repetunt res dictas in prima parte. Ut voto unius Patris (+ 80) (E/5424) satisfiat, lin.18-21 transferuntur in n.70 (p.55, lin.3).

(F) Ut desideriis E/5697 et 5285 respondeatur, additur vox "philosophiae"; item vox "historiae" secundum votum E/5666, et quia revera scientiae historicae nova problemata pro theologia oriri fecerunt.

(G) E/5892 observat quod non omnes acquisitiones scientiae veras quaestiones ponunt; sunt acquisitiones ambiguae. - Textus remanere potest, quia sensus est aequivalens.

(H) E/5892.5885 rogant ut dicatur quod non solum theologi sed etiam periti in rebus profanis has quaestiones considerare debent. Ideo additur "etiam".

(I) Lineae 28-35 textus prioris delentur, quia res antea dictas repetunt.

(J) E/5885 rogant ut de modo dicendi in theologia sermo fiat, et E/5700 rogat ut in hac materia sermo fiat de Ioanne XXIII. Ideo inseruntur verba ex Oratione introductoria Ioannis XXIII initio Concilii (AAS, LIV, 1962, p.792).

(K) Haec phrasis addita est ut clarius appareat quod artes etiam, suo quidem modo, conferunt ad navitatem Ecclesiae in mundo manifestandam, speciatim in ordine modi loquendi (langage).

(L) Verba sublineata addita sunt ut artes praecicius describantur, secundum postulatum E/5892.

(M) Propter postulatum E/5638 citatur factum alicuius divortii inter artes et Ecclesiam, nunc praesens, sed anterioribus saeculis non existens, e contrario.

(N) Textus prior (p.56) retinetur, sed abbreviatus.

(O) Ut materiae dispositio clarior evadat.

(P) Ut idearum concatenatio melius appareat.

(Q) Hoc additum est ut clarius appareat quod periti possunt adiuvare fideles, et simul ut momentum eorum activitatis communitate ecclesiastica melius appareat.

(R) Textus prior servatur, sed abbreviatus.

(S) Secundum observationem E/5892 deleri debet vox "philosophia", quia Ecclesia de illa iudicare nequit: vitandus est "clericalismus".

(T) Additum est ut voto E/5660 satisfiat.

PATRIMONIO UC